



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-429806-p0001-9

DFG

11

1776, 24.

Q V A E S T I O
IVRIS CONTROVERSI
A N

I N R E M C O M M V N E M
V E N D I T A M A B V N O D O M I N O R V M ,
N I H I L O M I N V S O B D E B I T V M P O S S I T
C R E D I T O R I I M M I S S I O D A R I

P. 210.

Q V A M
I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A
P R A E S I D E

D. C H R I S T I A N O H E N R. B R E V N I N G
P R O F E S S. P V B L I C. O R D I N A R. I V R. N A T. E T G E N T.

E T S O C I E T A T. L I T E R A R. D V I S B U R G E N S.


S O C I O

I N A V D I T O R I O I V R I D I C O
D I E V I I I. M A I I. A N N O C I C I O C C L X X V I.
D E F E N D E T
I O A N N E S G O T T L O B R E L L E R

G L A V C H,

L I P S I A E
E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A.







A N
IN REM COMMVNEM
VENDITAM AB VNO DOMINORVM
NIHILOMINVS OB DEBITVM POSSIT
CREDITORI IMMISSIO DARI

§. I.

Exposuimus nuper quaestionem: *An res vendita, non vero tradita, si postea contractus emti impugnetur, fiat litigiosa.* Retulimus simul facili speciem, quae tunc differendi dabat occasionem. Eam ipsam ex alia parte ad huc examinabimus, quippe et sententia ibi allegata ex alio capite amplius impugnanda videtur. Quo facilius possit causa ponderari atque rectum iudicium ferri, causam enarreremus. SEMPRONIVS debitor mortuus obaeratus fundum possilebat, quem duea SEMPRONIAE, mater sit et filia, pa-

* 2

ctae



Etiae cum creditoribus patris, possidendam habendumque capiunt
sub obligatione aeris creditoribus soluendae. Postea hicce
fundus se i o venditur utriusque SEMPRONIAE communis.
Filia SEMPRONIA valide contraxit venditionem, mater
SEMPRONIA haud consentit, atque lite inter SEIVM
et SEMPRONIAS orta, a parte filiae Semproniae vendi-
tio fundi confirmatur, a patre matris Semproniae venditio
fundi nulla declaratur. Deinde SEMPRONIA mater a FAV-
ORINO creditore conuenta, agnito debito et sponte pro
accepta habita executione fundum obiectum executionis
offert: quaerebatur: an recte id factum, atque an creditor
FAVORINVS immisionem obtinere possit. Sententia
quidem in ea causa lata negabat hoc ius reale acquisitum ex
executione FAVORINO ex falsa causa, quod rei litigiosae
alienatio inualida, quam in supra proposita quaestione refutauim-
us. Iam probabimus, recte FAVORINO ius in re ex
executione competuisse, quippe posito, nunquam concessio,
quod fundus ex vendito, cum non esset traditus, litigiosus
fuerit, tamen saltem litigiosus habendus pro ea parte, pro
qua venditio confirmata, scilicet Semproniae filiae, non ve-
ro pro ea parte, pro qua inualida pronunciata venditio,
scilicet matris, cum ex huius iure litigiosa haberri nequie-
rat, adeoque validum et alienationis et executionis obie-
ctum censendum. Huius asserti dabimus argumenta pro-
bantia ex ipsis legibus petita.

§. II.

Evidem dubitandi causam facere quodam modo po-
test, quod communis rei ea sit natura, ut singulus condo-
minorum pro indiviso dominium habeat, quo usque diuisio
inter condoninos facta non est. Hinc quod ab uno con-
dominorum inuito altero factum, id recte factum non vide-
tur. Haec opinio SABINI est teste PAPINIA-
NO



NO in L. 28. pr. π. commun. divid. Verba sunt: *Sabinus, in re communi neminem dominorum iure facere quicquam inuito altero posse, unde manifestum est, prohibendi ius esse; in re enim pari potiorem causam esse prohibentis constat.* Posset ergo inferri, non valere illud ius in re per factam executionem impetratum, quod in re communi inuito altero condominorum nihil fieri posset, ipse vero alter non consenserat. Hinc si emtori ex emto ius in re communi vendita competit, ut in locum vendoris condomini succedat, omnino posset videri ille communis fundus non esse obiectum et alienationis et executionis.

§. III.

Sed salua omnino res est, non obstante eo, quod dubitandi causa proposuimus. Omnis enim oppignoratio patiter ac executio in rem facta suo modo inter se comparari potest. Fit enim executio in rem interdum, ut ex re, in quam executio facta, alienata distraustaque suum creditor, qui executionem impetravit, consequi possit. Iam vero GAIUS in L. 9. §. 1. π. de pignor. et hypoth. Regulam reddit: *Quod emtionem venditionemque recepit, etiam pignerationem recipere potest.* Addimus: obiectum executionis esse potest, in quantum executio alienationem inuoluit. Quis vero dubitat, rem communem esse obiectum venditionis, non tantum, si condominorum consensu fit, verum etiam si ab uno fit condominorum, ita ut ex parte huius valeat alienatio. Testis est POMPONIUS in L. 18. pr. de contrah. emtione. Ait: *Sed si communis ea res emtori cum alio sit: dici debet, scilicet pretio pro portione, pro parte emtionem valere, pro parte non valere.* Consequor: si executio comparanda cum alienatione, rei communis vero alienatio ab uno condominorum facta, saltet valet pro parte alienantis, omnino creditor per executionem iure obtinuit ius in re com-



muni pro parte debitoris in cuius partem executio facta est.

§. IV.

Neque vero id damno esse potest ei, qui a condomino tantum valide rem communem emit. Quod si enim scivit, rem communem esse, quam emit, magis prospicere sibi debueret, neque emitionem contrahere, nisi utriusque condominatorum consensum valide interpositum obtinuerit. Hinc ematori sua imputanda negligentia. Si itaque partem rei emiae amittit, damnum quod sentit, sentire non videtur; sua enim sentit culpa, quod non accuratus in contrahendo fuit. Sicut ergo alter condominatorum, pro cuius parte venditio non valet, suam postea alienare potest partem, nemo dubitat, posse eandem partem dare in solutum, posse oppignerare, posse quoque creditorem eius in illam partem impetrare executionem et immisionem, imo ipsum condonatum debitorem, quo evitet executionem, eam pro facta agnoscere posse. Neque quidquam interest imo, aequalis erit effectus, an a iudice realiter, quod dicunt facta sit executio, an eam pro facta agnouerit debitor.

§. V.

Vt vero recte ab oppignoratione argumentum duximus ad executionem et immisionem idque ob eam causam, quod executio et immissio creditor ius reale tribuat ius, siue vere facta, siue pro facta habita sit, maxime ut statuit ordin. proc. sax. recogn. ad Tit. XLVII. Welcher Gestalt die Executio und Immissio, so in Zukunft vno Actu geschehen, demjenigen, so dieselbe erlanget, ein Ius reale gebe etc. Dass solches nicht nur, wenn die Hulfs Actus wirklich geschehen, sondern auch, wenn der Schuldner, wie ilme, zu Vermeidung derer Unkosten auch ohne des Richters und Creditoris



toris Bewilligung, frey stehen soll, die Execution und Immision pro facta hält, und sich dessen vor Gericht schriftlich oder mündlich erklärt, dergestalt obseruiret werden soll; ita sententiam nostram legum auctoritate confirmemus. V L PIA-
NVS in L. 6. §. 8. π. commun. diuid. Ait: *Si fundus com-
munis nobis sit, sed pignori datus a me: venit quidem in com-
muni diuidendo; sed ius pignoris CREDITORI MANE-
BIT, etiamq[ue] adiudicatus fuerit.* Clarius adhuc est disposi-
tio *Rescripti Imp. ALEXANDRI* A. in L. 2. C. commun.
diuid. Verba dabimus: *Si probatum fuerit Praesidi provin-
ciae, fratrem tuum vineas communis pignori dedisse, cum par-
tem tuam, quam in vineis habes, creditori obligare non potuerit:
Praeses provinciae restitui tibi eam iubebit cum fructibus, quod
creditor de parte tua percepit. Idem Praeses provinciae de
diuisione vinearum inter te et creditorem fratris tui cognoscet:
et iubebit eum accepta pecunia, quanti statuerit partem fratris
tui valere, eam partem, quam de fratre tuo accipit, tibi resti-
tuere: aut aestimata tua parte, ad creditorem fratris tui data
pecunia, quanti eam aestimauerit, transferre.* Valida itaque
declaratur oppignoratio pro parte fratris oppignorantis,
quae pro parte fratris non consentientis inualida erat.


§. VI.

Redeo ergo ad speciem, quam supra dedimus §. I.
Sicuti communis fundi venditio celebrata a parte matris
SEM PRONIAE inualida pronunciata, quae a filia SEM-
PRONIA facta iure perfecta erat, mater vero de debito
conuenta eoque agnito fundum obiectum executionis cre-
ditori adsignauerat ipsamque executionem pro realiter fa-
ctam agnouerat, recte creditori *ius in re ex auctoritate O.*
R. P. S. c. l. dederat, non quidem in totum fundum, sed

in



in suam tantum partem, quae vendita non erat, recte etiam creditor *ius in re* impetrauerat. Quapropter si sententia postea lata creditor ius negatum sit in fundo communis, licet praeterierit decendum, quod alias vim iudicati tribuit, tamen creditori haud nocet. Cum enim expressae adfiant leges, quae creditor ius suum confirmant, videtur sententia illa iuri omnino contraria. Recte vero monet B G E H M E R V S in *Introd. in Ius Digest. Lib. XLII. Tit. I. s. 5.* *Sententiam aperte contra leges latam, ipso iure nullam esse.* Nunquam ergo creditor ius suum per executionem in partem fundi impetratum vrgenti obstabit iudicati exceptio, quippe sententia, quae ipso iure nulla, in rem iudicatam haud transit.



Leipzig, Diss., 1776 A-G



f

TA-706

auf 34 Stck. bis her verku^w

V①

18



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-429806-p0012-0

DFG

B.I.G.



1776, 24.

Q V A E S T I O
IVRIS C O N T R O V E R S I

A N

I N R E M C O M M V N E M
V E N D I T A M A B V N O D O M I N O R V M ,
N I H I L O M I N V S O B D E B I T V M P O S S I T
C R E D I T O R I I M M I S S I O D A R I

Q V A M

I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A

P R A E S I D E

D. C H R I S T I A N O H E N R. B R E V N I N G

P R O F E S S. P U B L I C. O R D I N A R. I V R. N A T. E T G E N T.

E T S O C I E T A T. L I T E R A R. D V I S E V R G E N S.

S O C I O

I N A V D I T O R I O I V R I D I C O

D I E V I I I. M A I L A N N O C I S I C C C L X X V I .

D E F E N D E T

I O A N N E S G O T T L O B R E L L E R

G L A V C H.

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A .

